

De quiditate contritionis.

Cap. III.

Riusquam ad contritionis definitionem accedamus, sciendum est, quod in sacra scriptura pluribus nominibus vocatur. Dicitur enim afflictio cordis, qua cor miserum maceratur, & resoluatur, vnde per Hier. c. 6. reprehendens Dominus sacerdotes, dicebat: Et curabant facientes contritionem filiarum mearum, dicentes: Pax, pax: & non erat pax. Quae quidem afflictio potest oriri ex metu, & praesentibus calamitatibus, vt est in Psal. 12. Contritio, & infelicitas in visceribus eorum. & huiusmodi contritio non est bona, & legitima. Quandoque oritur ex humilitate, quae contraria est superbiae, per quam recrudescunt peccata, de qua in praesentiarum loquimur. De hac inquit David, Psal. 50. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. id est acceptabis. Et Esa. Ad annuncian dum mansuetis, misit me Dominus, vt menderet contritis corde. Dicitur etiam contritio alio nomine, cordis compunctio, iuxta illud Psal. 4. Quae dicitis in cordibus vestris, in cubiculis vestris compungimini. Nam vt vlcus ferro pungitur, vt virus exeat: sic & cor, vt peccatum emittat. Vel dicitur compunctio, quia, vt arbores thuris, & myrrae saxis ferreis vulnerantur, & ipsa lacrimatione velut lacrimatae aromata myrrae, & thuris proferunt: thus enim & myrra lacrimae sunt eiusmodi arborum, sed coagulatae: Sic cum Spiritus sanctus corda peccatoris infusione gratiae suae viuificauerit, atque sanctificauerit, statim emittunt thus deuote orationis, & myrram internae amaritudinis. De hac compunctione loquitur Greg. lib. Mor. ita inquit: Alia est compunctio, quae per amorem nascitur: Alia, quae per timorem. & Chrysostomus libros edidit de compunctione cordis. Vocatur etiam contritio, Reuersio. Vnde in Esa. 30. le-

gitur: Si reuertamini, & quiescatis, salui eritis. Et merito, quia est reuersio, quasi de hostibus ad pacem, siue de regione longinqua, de regione dissimilitudinibus, quasi de Aegypto ignorantiae, de Babilone luxuria, de Chaldea superbiae ad Hierusalem ecclesiae, ad terram promissionis, & patriam. Nominatur etiam scissio, quia cor ferre scinditur, & teritur praenimia angustia, & dolore, ira, & indignatione, quae concepit contra ipsa peccata. Vnde Dominus per Iob. Scindite, inquit, corda vestra. Et habetur in e. scindite, de penitent. distinct. 1. Dicitur etiam conuersio, quia peccator, dum in peccatis est, habet sub, quod debet esse supra, & econuerso, id est spiritum habet sub, qui debet esse supra: sic etiam habet ante se, quod debet habere retro, & econuerso. habet enim faciem ad posteriora, id est temporalia. Similiter oculis habet ad ista, vt alia non videat, sicut legitur Prou. 17. Oculi stultorum in finibus terrae. Est etiam euerfus, habens extra, quod debet habere intra, & econuerso. Est enim extra plenus, & intus vacuus, extra diues, intus pauper, extra nitidus, intus sordidus, extra sanctus, intus execrabilis. Qui ergo auertitur ab ista peruersitate, atque inordinatione ad debitum ordinem, atque ad Deum, qui est summum bonum, atque infinitum, dicitur conuersus, & conuertimini, de penit. dist. 1. Sunt & aliae nominationes, quibus euidentius virtutes eius, & fructus declarantur. Prima est, quia dicitur baptisimus in Spiritu sancto, id est in igne. nam vt ignis ligna incinerat, & metalla purificat: sic vitia, & peccata in sic penitente consumit, ipsumque purificat. Dicitur etiam baptisimus fluminis, quia omni decore, atque varietate virtutum mens penitentis spiritualiter in ea coloratur: Ibi enim & candor puritatis, & rubor charitatis, & liuidus color humilitatis, ceterarumque virtutum omnium illi tribuitur, ibi ab omni sordide peccatorum mortalium emundatur. Dicitur & victoria gratiae, scilicet con-